

pestem fuge. Cum itaq; hæc, ut ait Hieronymus, Ecclesia in ingemisceret, optime à sanctis patribus hujus Canonis sanctione statutum est, ut Ecclesia ipsa sibi vendicet, quæ clericis ex rebus Ecclesie bona quæsiuit.

V. Notat quoq; Josephus Ludovicus Thomassinus De Disciplina Ecclesie parte 1. lib. 4. c. 19. n. 7. hæc finalia Canonis verba: Faciant inde quod ipsorum proposito convenit, continere salutem monitum, quo monentur Episcopi & Clerici de proprio patrimonio disponere eum in modum, qui conveniat sanctitati professionis Clericalis,

VI. Justinianus Imperator in L. 42. §. 2. Cod. De Episcopis & Clericis, sancivit de Episcopis: "Nullo modo habere eos facultatem testandi, vel donandi, vel per aliam quacumq; excogitationem alienandi quid rebus suis postquam facti fuerint Episcopi, possederint & acquisierint, vel ex testamentis, vel donationibus, vel ex alia quacumq; causa: exceptis dumtaxat his, quas ante Episcopatum habuerunt ex quacumq; causa, vel quæ post Episcopatum à parentibus & thesis, hoc est, patris, vel avunculis, & à fratribus ad ipsos pervenerunt, perventuraq; sunt: quæcumq; enim post ordinationem ex quacumq; causa extra præfatas personas ad ipsos pervenerunt, ea jubemus ad sanctissimam Ecclesiam, cujus Episcopatum tenuerint, pertinere & ab ea vindicari & evinci: nulla alia persona potestatem habente, ex eo proprio quid auferre lucrum.

VII. Conformiter ad hanc Justiniani Sanctionem scribit Martiniano Episcopo Ravennæ S. Gregorius lib. 5. epist. 1. ut inquit in testamentum sui Prædecessoris de quo Clerus Ravennæ conquestus erat: Ut ea quæ de Ecclesia sua, vel de acquisitis in Episcopatu rebus contra legum fieri statuta disposuit, fraternitas vestra nec auctoritatem præbeat, nec aliqua in his ratione consentiat. Si quid autem de propriis rebus, quas ante Episcopatum habuit, quod quidem prius Ecclesie suæ non contulit, fieri voluit, vel decrevit, firmum per omnia robur obtinere necesse est.

Scribit quoq; Anthemio Campaniæ Subdiacono lib. 7. in dict. 2. epist. 53. se intellexisse, quod Attebanæ civitatis Episcopus dum de hac luce migraret, condito testamento in octo uncias totius substantiæ suæ naturam suam hæredem instituerit, Ecclesiam suam in residuis qua-

tuor. Cum verò hæc testamentaria dispositio videretur bona acquisita intuitu Ecclesie confundere cum bonis patrimonialibus subijcit: "Hortamur ergo experientiam tuam, ut sollicita inquisitione discutias, & quidquid Ecclesie ipsius esse potuerit à qualibet persona detineri nullatenus patiaris, nisi hoc solum quod eum ante Episcopatum ordinem proprium habuisset consistereit. Quidquid verò ante Ecclesie ipsius esse cognoveris, vel in Episcopatus ordine prædictum Episcopum acquisivisse, in ejusdem Ecclesie conservetur dominio, ne quisquam exinde aliquid usurpare qualibet occasione præsumat.

Refertur hoc Gregorii responsum in Cap. 1. §. De Testamentis, quamvis per errorem ibidem tribuatur Gregorio IX.

VIII. Eodem tendunt Decreta quæ inquiri jubent, an Presbyteri aliiq; Clerici bona aliqua habuerint tempore ordinationis; de quibus supra capite primo; ibiq; notatum, hanc inquisitionem unice factam, ut sciretur, quæ bona censeri deberent provenisse ab Ecclesia? & consequenter ut talia ad Ecclesiam pertinere.

Hinc manifestum est, antiquis Canonibus vetitum fuisse, non tantum Episcopis, sed & inferioribus Clericis quacumq; ratione de rebus intuitu Ecclesie acquisitis per testamentum disponere.

IX. Disciplina hæc pluribus sæculis perseveravit; eamque retinendam, etiam sæculo 12. sancivit Concilium Lateranense sub Alexandro III. in Cap. 7. §. De Testamen-

tis. Conqueritur enim Concilium, quod quidam Clerici cum ab Ecclesiis suis multa beneficia perceperint, bona per eas acquisita, in alios transferre præsumant. Hoc igitur (ait Concilium) quia antiquis Canonibus constat inhiberetur, nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus permanere.

X. Hoc Decretum non solummodo de immobilibus, sed & de mobilibus intelligendum esse, declarat idem Pontifex, adversus pravos illius Decreti interpretes, in litteris ad Electum & Capitulum Casanense, in Cap. 12. §. De Testamentis, respondetq; quod generaliter bona quælibet per Ecclesiam acquisita, eis vel ut verior lectio habet, eis debent juxta Lateranense Concilium permanere.

XI. Et ad Episcopum Vigilensem in Cap. 9. §. Eod. scribit, quod Clerici de his quæ consideratione Ecclesie perceptur, nullum de jure possunt facere testamentum: licet de his quæ paternæ successione, vel cognationis intuitu, aut artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valeant.

XII. Hæc generalia Alexandri satis indicant, quod de jure sive juxta antiquos Canones, nequidem ad piæ causas de Ecclesiastica substantia Episcopis aut Clericis licitum fuerit testari: quasi nefas esset, de rebus eorum administratione dumtaxat concessis, disponere in tempus finita administrationis.

Illud quoq; luculenter indicat idem Pontifex citato Cap. 12. dicens: Licet mobilia per Ecclesiam acquisita de jure in alios pro mortis arbitrio transferri non possint; consuetudinis tamen non est improbanda, ut de his pauperibus & Religiosis locis, & aliis, qui viventi serviant sive sint consanguinei, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur.

XIII. Nequidem ergo de mobilibus per Ecclesiam acquisitis licebat Clericis de jure per testamentum, etiam pauperibus, & Religiosis locis aliqua conferre; sed si quid hic licere dicitur, id consuetudini adscribitur; quam non improbandam vocat Pontifex.

XIV. Consuetudo quæ hic non improbanda dicitur, & per relationem Rescripti Pontificis in Decretales Gregorii XI. quasi jure probata & firmata fuit; andem etiam pro jure invaluit. Unde & in Synodis post hanc Gregorianam compilationem Decretalium passim permittitur Clericis de mobilibus, sub moderationibus in citato Rescripto Alexandri III. appositis, testari.

Anno 1284. Synodus Nemausensis titulo De Testamentis, ipsa verba Decreti Alexandri exscribit; ipsamq; consuetudinem cum suis modificationibus similiter non improbandam appellat: unà declarans, qualiter ipsa bona Clericorum, maxime quæ ab Ecclesia provenerunt distribui debeant: si nullum testamentum fecerint, addito hoc notando monito: Ad hæc, quidquid habent Clerici de bonis Ecclesiasticis, de ductis expensis, honestis & necessitatibus pauperum debet esse.

XV. Rursum anno 1300. celebrata Synodus Bajocensis §. 58. præcipit Sacerdotibus, ut immobilia de bonis Ecclesie acquisita, tantummodo suis legent Ecclesiis: De jure, enim aliud facere non possunt. De mobilibus autem Sacerdotes rationabile possunt facere testamentum.

Testamentum rationabile indubie hic aliud non est, quam testamentum factum secundum jura sive legitimum; uti etiam notat Ludovicus Thomassinus De Disciplina Ecclesie parte 4. lib. 4. c. 16. n. 10.

Hic reflecti potest, facultatem de mobilibus testandi, non amplius consuetudinis adscribi, sed jure: eo quod consuetudo à jure esset probata.

XVI. Ex Synodis nostratibus eodem anno 1300. Coloniensis c. 5. præcipit: Clerici bona, maxime immobilia, & quæ

quæ per Ecclesiam sunt adepti, sive per modum testamenti, sive alias non transferant ad consanguineos; sed relinquunt ea Ecclesie, à qua sunt profecta. Sed intuitu elemosinæ, pauperibus & piis locis, & illis qui ipsi servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii merita de mobilibus dare possunt.

XVII. Verum licet hæc consuetudo testandi ita modificata ut in Decretalibus Pontificum, & Synodis proponitur esse non improbanda: illud nihilominus fatendum, quotidiana experientia compertum est, quod ubi semel Canonum rigor laxatur, tametsi multis modificationibus relaxatio restringatur, sensim modificationes illæ negligantur, & relaxatio sine illis retineatur; quin & paulatim extendatur & omnis tandem Canonum vigor enervetur, prout hic contigit notat Boëtius Epo in Commentario ad Cap. 12. §. De Testam. n. 54. ubi ad verbum aliqua monet: vides ex hoc loco paulatim consuetudinem disponendi per testamenta de bonis per Ecclesiam quæsitis, irreversibile. Primum parum quid relinquendo (prout hic fit) postea largiore manu, donec tandem plena potestas obtinetur, quibuslibet, etiam non pauperibus relinquendum fuit accepta, quemadmodum nunc plurimis fit in locis: minime rectè, sed periculossimè, sive spectemus eos qui dant, sive qui ab iisdem dantibus accipiunt.

XVIII. Huic consuetudini forsitan non parum contulit quod lapsu temporis, Pontifices & Episcopi facilius testandi licentiam, etiam liberam, Clericis indulgerent; uti notat Zypæus in Jure Novo titulo De Testamentis n. 4. ubi unà tenet: Livinus Torrentius Episcopus Antverpiensis facultatem testandi in Diocesi Antverpiensi omnibus fecit, salvo tamen, & ei reservato mobium numero sexagesimo, redditione computuorum, &c. postquam scilicet animadvertisset, nemini petenti eam facultatem concessisse negari, adeoque sine examine concedi. Itaque is publici juris fecitque formula petendæ licentiæ, captatoria hereditatis esse videretur.

Diplum notavit Theodorus Teldenus ad Codicem titulo De Episcopis & Clericis numer. 6. ubi loquens de consuetudine, quæ abrogasse videtur antiquos Canones vetantes Clericis de bonis Ecclesiasticis testari, ait: "Et cum olim singuli sæpe testamentationem à Pontifice obtinerent, quidam potuerunt eam deinde ad omnes extendere, usum huic tolerando & tacite probando."

XIX. Insuper non parum ad firmendam hanc consuetudinem valere potuit difficultas discernendi ea quæ ex patrimonio aut industria, vel aliunde quam consideratione Ecclesie Clericis obvenierunt, ab us, quæ ab Ecclesia provenerunt: in tantum ut singula penè Clericorum testamenta ob hanc bonorum confusionem & incertitudinem litibus essent obnoxia. Itaq; factus visum fuit, testamenta illa tolerare, & Clericorum conscientia relinquere, quomodo de acquisitis ab Ecclesia, disponent, quam litibus omnia involvere; præsertim cum frequenter non constet, num consanguinei sive hæredes quibus bona per testamentum deferuntur, revera sint divites, an pauperes, quibus tanquam pauperibus, superflua ex proventibus Ecclesiasticis communicari possent.

XX. Quidquid sit, hoc expeditum, circa sæculum XV. libertatem testandi de proventibus Ecclesiasticis, vel acquisitis intuitu Ecclesie invaluisse; alibi tamen tardius, alibi citius.

Legitur in Probationibus Libertatum Ecclesie Gallicanæ c. 22. n. 9. ordinatio Caroli VI. Regis Gallie edita anno 1406. ubi inter alia dicit, quod bona (Ecclesiarum) per Prælatos post eorum obitum dimissa, futuris debent successoribus reservari in Ecclesia utilitatem convertenda; nisi forte (ait) in illis locis Regni, ubi de usu & consuetudine notoriè observatis, licitum sit, Prælatibus ipsi & aliis Ecclesiasticis secularibus de iisdem bonis

facere testamentum, quibus etiam ab intestato, in dictis bonis secundum consuetudinem & observantiam suæ prædictas sui succedunt hæredes.

Hæc ostendunt, quod eo tempore, hæc libertas testandi dumtaxat in quibusdam locis Regni Gallie invaluisse. Secundò quod libertas unice inniteretur usui & consuetudini. Tertio quod hoc jus consuetudinarium nondum tam firmiter esset stabilitum, quin de eo cum aliqua dubitatione adhuc dicitur, nisi FORTE in illis locis, &c.

XXI. De consuetudine permittente Clericis testandi libertatem in quovis usus de proventibus Ecclesiasticis testatur Covarruvias de Testamentis cap. 7. n. 23. dicitque moribus receptum esse, ut Clerici contra omnem licentiam liberè testentur, & in ultima voluntate distribuant bona, quæ ex redditibus Ecclesiarum adepti sunt. Additque numer. 24. Carolus Hispaniarum Rex anno 1523. Comitibus totius Regni Provincie habitis, jussit, hanc consuetudinem ut legitime inductam, servari.

XXII. Eam quoque generaliter in Regno Gallie receptam esse testantur passim Pragmatici; ac signanter Guilielmus Benedicti, qui jam à ducentis circiter annis de hac consuetudine ita scripsit ad Cap. RAYNUTIUS §. De Testam. Verbo, Et uxorem n. 264. "Pari modo fuit in eorum Regno [Gallie], consuetum, & publicè ac notoriè observatum, & per Ecclesiam toleratum, Episcopos, ac ceteros Beneficiatos posse de fructibus suarum Dignitatum & Beneficiorum ac de bonis per eos nomine proprio, vel nomine Ecclesie acquisitis; etiam de pretio ex fructibus Beneficiorum reddito testari, & aliis inter vivos, vel causa mortis, sicut laici de suis bonis liberè disponere, prout dietim faciunt."

XXIII. In Belgio nonnulli Episcopi prætendunt, Pastores aliosque Beneficiatos sibi subditos testari non posse, etiam ad piæ causas, nisi præhabita ipsorum licentia: notatque Joannes Molanus in tractatu De piis Testamentis cap. 40. quod eam licentiam rigide exigant statuta Diocesis Leodiensis. Quæ eadem statuta dicunt: "Pro licentiis testandi Pastoribus & Beneficiatis auctoritate nostra ordinaria concedi solitis, solvetur florenus Brabantie ad ratam cujuslibet modii: Presbyteris autem nulla beneficia obtinentibus duplex scutum Bulonicum."

Per florenum Brabantie intelliguntur duo solidi, & per scutum Bulonicum duodecim solidi. Non ablimilis est Diocesis Namurcentis, & forsitan quorundam vicinorum locorum consuetudo; quæ ante novorum Episcopatum in Belgio erectionem erant Diocesis Leodiensis; cujus passim consuetudinum & privilegiorum reliquias nonnullas retinuerunt.

XXIV. Sed cum hujusmodi licentia testandi nemini eam postulanti negetur, & videatur hæc consuetudo potius sapere proprium interesse, quam conservationem disciplinæ, merito Academiam hanc Lovanensem laudat Joannes Molanus citato loco capite 40. quod licet olim fuerit Diocesis Leodiensis, omnibus suis suppositis, & professoribus, studiosis & familiaribus tanta liberalitate eam [licentiam] annuit, ut non sit necesse petere, quod omnibus ultrò & gratis offerri.

Hoc tamen injungunt Statuta Academica titulo De piis Legatis: "Executores ultimarum voluntatum supposito, tum decedentium, statim post mortem defuncti supposito, cuiuscumq; etiam conditionis fuerit, testameta hujusmodi Domino Rectori præsentante Notario Universitatis exhibeant, quam exhibitionem Rector & Notarius gratis admittant."

XXV. Excipit tamen ibidem Covarruvias Episcopos, quibus solis testandi licentiam necessariam asserit. Fateaturq; Guilelmus Benedicti loco citato n. 265. quod de Episc-

Episcopis major erat dubitandi ratio, propter majorem quam habent communionem & conjunctionem cum suis Ecclesiis, quam ceteri Beneficiati ob causam matrimonii spiritualis inter eos exstentis.

Addit tamen Benedicte: "Et quasi omnes Episcopi habere consueverunt à Papa dispensationem testandi, & nedum testari poterunt de bonis ex consuetudine, sed etiam de fructibus beneficiorum, nec non de spoliis.

Hic nota, hunc auctorem non obscure innuere, consuetudinem testandi libertatem Episcopis annuentem, ex consuetudine dispensatione profuissse, uti supra notavimus.

Mores Belgii Episcopis eandem libertatem indulgent: adeo ut licet Paulus III. Prælatos ad eod fecerit inhabiles ad testandum, ut ne locis quidem pijs ultra decimam partem relinquere quocumque titulo velit, omnesque contrarias testandi concessionem eod reducat in Constitutione quam refert P. Matthæi in septimo Decretalium lib. 2. tit. 13. tamen nullius Episcopi testamentum eo nomine quod non habuerit facultatē testandi à summo Pontifice, in Belgio irritatum se scire, dicit Zypæus in Jure novo De Testamentis n. 7.

XXVI. Non eandem fuisse libertatem testandi in Italia satis colligitur ex specialibus privilegijs seu indultis testandi à varijs Pontificibus concessis. Et quidem refert Fagnanus ad c. Siquis De Peculio Clericorum, Paulum V. anno 1606. indultisse omnimodam facultatem incolis & civibus Urbis, qui in ea, vel ejus districtu infra decem miliaria, non tamen extra debitam residentiam, decesserint liberè disponendi de omnibus suis bonis etiam proventibus ex quibuscumque fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus & emolumentis Ecclesiasticis & beneficiorum quomodolibet qualificarum, tam inter vivos, quam in ultima voluntate.

Hec specialia indulta sat ostendunt, non fuisse in Italia consuetudine inductam eam generalem libertatem testandi de proventibus Ecclesiasticis; quod & ipse Fagnanus satis innuit, unà dicens, ambigendum non esse, quin Pontifex imperiti possit Clericis facultatem disponendi in vita & in morte de fructibus beneficiorum.

XXVII. Additque ex communi Canonistarum opinione, Papam etiam Regularibus posse dare licentiam testandi: quod tamen in Gallia non admitti passim notant illius Regni Pragmatici; uti videri potest apud Julianum Broudæum in notis ad Louëtium Litt. C. n. 8. & Carolum Fervetium De Abusu Lib. 4. c. 7. n. 10. Et in verificatione Facultatum Legatorum Sedis Apostolicæ solet inferri hæc clausula: "Testandi contra Provinciatum consuetudines, jura Regni, ac Constitutiones in Curia promulgatas, ullis Sacerdotia in Regno tenentibus, aut in Cœnobijs Monasticam professis gratiam non faciat." Vide supra parte 1. tit. 21. cap. 3. num. 11.

XXVIII. Regulares tamen assumpti ad Episcopatum, quasi à Regula Monastica solvi non secus ac Episcopi à Clero seculari assumpti, de proventibus Ecclesiasticis tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem disponunt: modo si intestati decedant, ipsos proximos consanguineos habent hæredes, ex generali consuetudine illius Regni; de qua latius capite sequenti.

XXIX. Verùm uti rectè ibidem ex Præposito monet Fagnanus, neque consuetudo, neque dispensatio Papæ potestatem dare possunt Clericis, ut fructibus beneficiorum abutantur; siue in profanos usus expendant vel dispensent.

Similiter Martinus Navarrus in sua Apologia pro suo De Redibus Ecclesiasticis libro, agnoscit, esse in Hispania consuetudinem testandi de proventibus Ecclesiasticis, creditque eam validam etiam in foro conscientie quoad testandum intuitu pietatis, paupertatis, remuneracionis & debiti solutionis; & nullam esse consuetudinem præscriptam & validam, testandi pro libito in profanis

„ sine aliquo prædictorum intuitu : quamvis in multis Regnis, & Provincijs extra Italiam, & in aliqua ejus partibus, justè in foro exteriori toleretur consuetudo, ne testamenta Clericorum ob hoc in judicio deducantur, & servari jubeantur ad obviandum frequentissimis libetibus quæ alijs oriuntur.

Additque Navarrus, quod de hac opinione admonitus Pius V. antequam licentia impediendi fieret, responderit esse justam & sanctam opinionem.

Videri potest Joannes Molanus citato c. 40. ubi latè ostendit, licentiam testandi etiam à Pontifice obtentam, non dare facultatem disponendi in usus profanos.

XXX. Neque enim consuetudo aut dispensatio testandi mutat vel alterat naturam & conditionem proventuum Ecclesiasticorum, manetque onus dandorum superfluum pauperibus annexum proventibus Ecclesiasticis; unde, nec ullà consuetudine quantumvis inveterata poterit induci, ut profanos in usus Ecclesiasticis de proventibus vel testari liceat, vel ab intestato successores habere non indigentem, uti loquitur citatus Boëtius Epo in Commentario ad c. 1. De Testamentis n. 84.

XXXI. Quapropter Patres Tridentini, licet haud ignorarent, in multis regnis testamenta Clericorum de proventibus Ecclesiasticis in favorem parentum non egentium, tolerari, & valida reputari, nihilominus Episcopis alijque quibuscumque beneficijs Ecclesiasticis obtinentibus omninò interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiarè sive suos augere studeant; sed si pauperes sint, ut pauperibus distribuant.

XXXII. Sicuti ergo electio ad beneficium Ecclesiasticum minus digno omisso digniore non reprobat, quantum ad forum contentiosum, quamvis elegens in foro conscientie incurrit peccatum acceptionis personarum, & violationis justitiæ distributiæ sit reus (quem admodum titulo præcedenti dictum est) ita testamenta Clericorum de proventibus Ecclesiasticis in usus profanos; aut favorem consanguineorum non indigentium, non reprobat, siue non declarantur invalida in foro contentioso propter odiositatem; sed non eximunt ipsos disponentes ab injustitia, dum proventus Ecclesiasticos simili modo dispensant contra intentionem offerentium & naturam ipsorum bonorum.

Igitur Canones, in quantum vetant de proventibus Ecclesiasticis non disponi in usus profanos; nec ad ditandos parentes infum, absit, ut etiamnum non obligent, ait Christianus Lupus tomo 1. Schol. in Canones pag. 484. additque Nemo se seducat. Deus non irridetur.

XXXIII. Merito attendent Clerici de proventibus Ecclesiasticis disponere proponentes hoc saluberrimum monitum Synodi Osnaburgensis anno 1628. parte 2. tit. 11. §. 1. "Cum in officijs charitatis ac pie remuneracionis, primo loco illis teneamur obnoxii, à quibus beneficium nos cognoscimus recepisse, facillè intelligunt omnes Ecclesiarum nostrarum Clerici & Beneficiati, qui de Ecclesiæ stipendijs ac redditibus vivunt, ut de iis, quæ ex justa suarum rerum dispensatione superflua sunt, in sum præmæ voluntatis declaratione non ex carnali affectu, sed pro Ecclesiæ Dei utilitate disponant. Licet enim, refrigescente charitate, & cupiditate ac cura carnis succrescente paulatim irrepisse videatur, ut Clerici etiam de acquisitis per Ecclesiam testentur, attamen magno salutis periculo conjunctum est, ut mox ad Tribunal Christi rapiendi, de quibus usque ad extremum quadrante rationem reddiduri, carnem & sanguinè Christo, & ejus Ecclesiæ ac pauperibus præponant, magis verò securum voluntati & gloriæ divinæ, rationi & animarum salutis consentaneum, ut quæ ipsi ex patrimonio Christi, & bonis Ecclesiasticis (quorum procuratores, Administratores ac dispensatores dicuntur & sunt) post honestam ipsorum sustentationem superflua ea in

„ pios usus convertant, ac in cœlum præmittant in thesauris cœlestibus inveniendis, & præsertim Ecclesiarum (quibus adscripti sunt) pauperum in aliarumque piarum causarum rationem habeant, ne dum fortè consanguineos suos ex bonis Ecclesiasticis temporaliter locupletare contendant, rectum charitatis & obligationis ordinem invertant, & sibi aliisque damnationem acquirant.

XXXIV. Simile motivum legitur in statutis Synodalibus editis in Synodo Diœcesana Antverpiensi sub Francisco Sonno anno 1576. titulo De Testamentis cap. 3. "Item monemus omnes Clericos ne in testamentis suis faciendis nimium tribuant carni & sanguini : sed meminerint ea quæ necessitas suis superflua ex fructibus suorum beneficiorum esse verè pauperum & Ecclesiæ, ac de jure ex omnibus beneficijs eos tantum posse capere stipendia vitæ suæ, cum non habeantur ut proprietarii: sed tantum ut utuarii: neque intuitu personæ cuiusque sunt in fundationibus relicta bona beneficiorum; sed intuitu Ecclesiæ cuius servitio sunt deputati; ita ut ab Ecclesiâ honestæ vitæ stipendia tantum promereantur & capere possint.

CAPUT VIII.

Ad quos bona Clericorum intestatorum devolvantur?

- 1. Canones volunt bona Ecclesiastica post mortem Clericorum deferri Ecclesiæ.
2. Ante rerum Ecclesiasticarum divisionem satis constabat, quid nomine Ecclesiæ hic significaretur.
3. Facta divisione dubitari cepit.
4. Dubium decidit Alexander III.
5. Bona Clerici defuncti devolvuntur vel ad Congregationem, vel ad successorem in beneficium.
6. Fundamentum hujus distinctionis.
7. Bona Episcopi, Archidiaconi, vel alterius in dignitate constituti ad quem devolvantur?
8. Devolvuntur bona Clericorum ad Capitulum non jure hæreditario, sed jure peculii.
9. Consuetudo subinde bona Clericorum decedentium sine testamento defert ad Episcopum.
10. Decretalis Bonifacii VIII. probata à Concilio Constantiensi hanc consuetudinem supponit.
11. Sola hac consuetudo restringi ad mobilia; & quare?
12. Quæ sit hac in parte consuetudo Diœcesis Leodiensis.
13. Consuetudo deferens mobilia Clerici defuncti Episcopo probata in Synodis Tornacensibus.
14. Hodiè Capitula Canonicis tantum in mobilia succedunt.
15. Privilegium datum Episcopis succedendi Clericis comprehendit etiam Canonicos.
16. Qui dispositionem rerum suarum in voluntatem alterius conculsit non censetur decedere intestatus.
17. Quando constat sufficienter de dispositione Clerici non censetur decedere intestatus.
18. Episcopi Aurelianenses olim Clericis in mobilia succedebant; sed id hodiè abolitum assertit Choppinus.
19. Id conforme consuetudini Regni Gallia deferentis bona Clericorum intestatorum indistinctè proximioribus hæredibus.
20. Idque etiam quoad bona Episcopi qui vitam Monasticam professi fuerunt.
21. Etiam in Belgio idem obtinet.
22. Consuetudo non concernit bona nomine Ecclesiæ comparata.
23. Neque procedit cum ex conjecturis sat constat, defunctum voluisse Ecclesiæ relinquere.
24. Quomodo fructus nondum percepti dividendi in Van Effen Jur. Eccl. P. II.

- ter hæredē defuncti & successorem in Beneficium.
25. In aliquibus Ecclesijs computatur annus à die S. Joannis aut alterius Sancti.
26. Quid circa hoc habeant Synodi Belgica.
27. In aliquibus Ecclesijs fructus non percepti cedunt Episcopo vel Archidiacono.
28. Hi quibus cedunt tenentur curare ut oneribus Beneficij satisfiat.
29. Canonicis solet dari annus gratiæ.
30. Cuykensis Episcopus Ruremundensis eum improbas.
31. Nulla legitimè auctoritate, & ex causa parum honesta introductus apparet.
32. Laudantur Canonici Lovanienses quia annum gratiæ aboleverunt.
33. Quo fundamento nitatur consuetudo deferens bona Clericorum ad proximos hæredes.
34. Hac consuetudo non immutat naturam bonorum Ecclesiasticorum.
35. Hæredes ea bona Ecclesiastica dispensare debent.
36. Similiter & Episcopi in bona illa ex consuetudine succedentes.
37. An Canonici bona mobilia defuncti inter se dividere possint?

I. Manifestum est ex Canonibus hactenus hoc titulo sparsim relatis, proventus Ecclesiasticos; uti & bona ex proventibus illis acquisita, quæ post mortem Beneficiatorum supervenerant multis seculis mansisse penes Ecclesiam; utpote ad quam & proventus illi spectare credebantur; & ipsi Beneficiatis, non nisi tamquam ususuariis concessa, ut vita sua durante ex illis necessaria accipere possent: aut etiam in pauperes, & pios usus dispenserent; post mortem verò, quidquid superesset, apud Ecclesiam, tamquam proprietariam remaneret.

II. Quamdiu subsistit integra bonorum Ecclesiæ communio, & plena eorum dispensatio penes Episcopos mansit, nequaquam ambiguum erat, quid Ecclesiæ nomine intelligeretur; neque per quem decedentium Clericorum proventus Ecclesiasticis essent dispensandi.

III. At facta bonorum Ecclesiæ partitione, præsertim illa, qua cœpit ipsorum Capitulorum mensa à mensa Episcopali dividi; & singulis titulis sui particulares proventus annexi, dispensandi, non per Episcopum, sed ipsos singulares Titulares, dubitatum fuit, quid nomine Ecclesiæ, cui proventus morientium Beneficiatorum cederent, significaretur.

IV. Hoc dubium dirimere volens Alexander III. in Cap. 12. De Testamentis declarat, quod "nomine Ecclesiæ, non Episcopus, vel Successor Clerici morientis ubi est collegium Clericorum, sed communis Congregatio intelligatur, quæ rerum illarum debet canonicam distributionem & curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum est unus ordinandus, is ea bona (sicut & alia ipsius Ecclesiæ in Dei timore dispense.

V. Ex hac decretali quæ in Decretales Gregorii IX. relata jus commune facit, res à Clericis relicta non ad Episcopum; sed vel ad Collegium Clericorum, vel ad Successorem devolvitur: quod & divisioni rerum Ecclesiæ tempore hujus Decretalis stabilita, conforme esse rectè advertit Boëtius Epo ad hanc Decretalem,

Æquum enim est, quod eum illi qui sunt de communi Clericorum Collegio vel Congregatione, de communi massa bonorum totius Collegii seu congregationis, separata à massa Episcopi, suas accipiant præbendas seu portiones, etiam ad eandem massam, quidquid singulis decedentibus fortè superfluerit, redeat.

Eadem ratione æquum est, ut quidquid superest Clerico